

quàm scelerata audacia existimanda? Quis autem non in his missarum sacrificijs statuit multa idola, primum fiduciam operis sui, deinde multos sanctos illos quidem sed homines tamen quorum memoriam repetens quæsiuit intercessores apud Deum, qui nobis unicum proposuit mediatorem Iesum Christum. Hæc quàm multi immò plurimi etiam proposito & uoluntate impij tractarunt, tuti atq; defensi ordinis solummodo autoritate. De mercatu quidem est res manifesta, nam uenditæ certè istæ operæ missariæ strenue fuerunt. Quoties igitur uenijt Christus & quanto uilius quàm à proditore Iuda? hæc breuiter quidem à me commemorantur & simpliciter, sed sunt ingentia atq; inestimabilia peccata & scelera. Accedit huc exaggerata hominum mortuorum inuocationis, contra mandatum Dei, horribilis impietas, collocatione statuarum & imaginum & consecratione in templis. Quid ego dicam de figmentis peccatorum & terriculamentis conscientiarum & propositis redemptionibus horum? Quid de purgatorij fabulis? Inspiciamus ritus ceremoniarum, primum si placet illos sanctos atq; immutabiles sacramentorum, Quis potestatem fecit hominibus, ut uel dimidiarent, quemadmodum fecerunt de cœna dominicæ. uel nefaria temeritate prorsus corrumpèrent, ut in pœnitentiâ & potestate clauium accidit. Quid autem de alijs ce-